



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

ad summam ex communi illius loci consuetudine diurnoq[ue] vsu comprobata rationem.

Tit. que ad bona eccl[esi]e §. Decimarum. p. 107.

Qui vero a decimarum solutione alius vel priuilegij vel cause pretextu se immunes esse putant; ijs ex tertij Concilij decreto vt certum tempus prescribamus, quo aut priuilegium, aut causam afferant immunitatis suae, duorum mensium spatium constituimus: quo prescripto tempore, si nihil quod releuet, attulerint; illas soluendi iure adstrictos esse decernimus; nisi aliqua iusta causa, qui cause iudex fuerit, tempus constitutum prorogandum censuerit.

Idem de eo statuimus, qui a primitiarum solutione immunem se esse putat.

Decretum. XXXIX.

Inuestitura decimarum qua ratione faciend[ur].

QVONIAM sepe ob corruptas imperfectasq[ue] decimarum inuesturas, quae ab ecclesiasticis hominibus fieri solent, passim ipsae decimae malitia hominum, vel ignorantia supprimuntur, aut amittuntur, vel saltem diminuuntur, non sine magno animarum periculo, & ecclesiarum detrimento: ideo huic rei occurrere nos cupientes, decernimus in posterum, ecclesiasticis hominibus ius decimandi habentibus inuesturas earum facere non licere; nisi & decimarum quae ecclesiae debentur, expressa quantitate & qualitate; & pacto nominatim expliciteq[ue] adiuncto, vt ea scilicet decima integra, & in ipsis etiam agris pro earum modo ac ratione in instrumenta inuestiturae describenda, ab conductore, vel emphyteota exigatur, ac etiam alia pacto ne eidem instrumento adiecta, vt quicumq[ue] decimam soluere recusarint, eorum nomina ipse emphyteota, aut conductor, ecclesiastico homini inuestienti scriptis statim deferat; vt contra recusantes iure experiri & agere possit.

Si contra quam prescriptum est, inuestitura contrahitur, nulla sit nulliusque roboris, poena etiam inuestienti arbitrio nostro irroganda.

Id vero nisi aliter inuestiendi facultas scripto a nobis permisa sit.

Decretum. XL.

Locationes bonorum eccl[esi]e

BONORVM ecclesiasticorum lo

catio schedulis publice de more propositis semper fiat; nisi eam aliquando secus fieri, facultate scripto a nobis impetrata permissum sit.

Si aliter fiat, nulla locatio sit: & qui secus locarit, poena mulctetur arbitratu nostro.

Decretum. XLI.

SAEPE fit, vt qui in ecclesijs dignitates canonicatusve obtinent, praebendarum suarum, quarum tertia pars ex Tridentinis decretis in distributiones conuersa est, praedia bonave minoris locet, aut minoris locata dissimulent; idq[ue] omne in fraudem, vel Capitulorum, vel priorum locorum, ad quae illis in choro non praesentibus, aut non inseruentibus ea pars eiusdem Concilij auctoritate pertinet: nos, vt quorum interest indemnitati consulamus, hoc edicimus atque decernimus; vt ne praediorum bonorumve ad eiusmodi dignitates canonicatusve pertinentium locatio, nisi & schedulis publice de more propositis, & praeterea de Capitulorum locorumve priorum, quorum in ea tertia parte ius est, aut de virorum ab eis aut ab Archiepiscopo delectorum assensu fiat.

Si contra locatio fiet, rescissa, irrita ac nulla plane sit; poena itidem ei qui contra locauit, proposita, arbitrio Archiepiscopi irroganda.

Decretum. XLII.

VT ecclesiasticorum bonorum conseruationi consulatur, ac simul fraudi occurratur; nos praediorum ecclesiasticorum a parentibus consanguineisq[ue] clericorum beneficia ecclesiastica obtinentium, qui minori aetate sunt, administrationem suscipi, geri, eisdemque per ipsos minores clericos committi interdiximus; nisi & causa ab Archiepiscopo cognita; & facultate ab eodem scriptis impetrata.

Alioqui contractus quicumque ab illis in ea administratione initi, sint irriti, rescissi, ac nulli omnino; & poena arbitratu eiusdem Archiepiscopi irroganda ei, qui contra administrarit, administrationem susceperit, gesserit, aut qui commiserit.

Beneficij a minore obtenti administratio consanguineis non committenda.

De-